



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Norbertus Ep. 6. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

in se barbaro Evangelii codicem BONIFACIVS ob-
jecit, qui etsi discissus est, negant tamen ullam li-
terulam cā plagā vitiatam. Omnia ipsius facta
dictaque admiranda sunt; illud sēpc sēpius repe-
titum, nostra ætas multò verius quam BONIFA-
CIANA audiat: olim Sacerdotes aureos cum li-
gneis calicibus fuisse; nunc aureos esse calices, sed
ligneos Sacerdotes. Ex vitâ apud Nicol. Serrar.

*Nemo in Ecclesiâ amplius nocet, quam qui perversè
agens nomen vel ordinem sanctitatis vel Sacerdotis ha-
bet. Delinquentem namque hunc redarguere nemo præ-
sumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur,
quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. S.
Greg. in Pastorali.*

S. NORBERTUS EP. 6.Iunii.

NORBERTVS Dux ejus familiæ, quam Præ-
monstratensem indigitant, summis aulæ Im-
peratoriæ honoribus perfunditus, cùm mundo se
abdicasset, suorum progressus atque incrementa
ab ipsomet CHRISTO in cruce pendente est edo-
ctus. Nocentissimam Tanchelini hæresin Antver-
piæ tum grassantem, introductâ è suis coloniâ, ju-
gulavit. Archiepiscopus post Parthenopoli, quia
in corruptos civitatis mores liberè pro DEO, &
dicebat, & agebat, multorum in se odia convertit,
ut jam essent, qui necem ipsi, sociis verò exilium
minitarentur: sed eorum insidias semper cælum
elusit; tametsi NORBERTVS, Servatorem æmula-
tus, obvius nonnunquam hostibus iherit. MARIA
cultui se suosque æternum devovit; unde è VIR-
GINIS manu vestem candidam (quâ mores suos
tota hæc familia etiamnum monstrat) ab Augusti-
no verò Leges aureis literis exaratas accepisse
memora-

memoratur. Ita candidatus cùm cælum diu ambi-
visset, anno demum C.XXXIV. supra M. obtinuit,
& in victoriæ signum olivam manu præferre vi-
sus est. Nonnemo eundem sub lilii imagine transpor-
tari in cælum conspexit. An non gratulari sibi ter-
ra tunc potuit, cùm flores habuit, quos in sua ro-
faria transferre Superi amabant? Sed & nunc tales
daret, si non ungue infesto invidus cælo heu-
mundus præriperet. Ex Surio.

*Bona mors justi propter requiem, melior propter re-
nitatem, optima propter securitatem. E contra mors pe-
catorum pessima: mala in mundi amissione, pejor in
carnis separatione, pessima in vermis ignisque contri-
tione.* S.Bern.in Epist.

S. ROBERTUS ABB. 7.Iunii.

ROBERTVM alterum D. Bernardi oculum imi-
tandum proponimus, cā frugalitate virum,
ut helluari sibi videretur, si ipsis Paschalibus ave-
naceum panem butyro adipatum gustasset. Ge-
nium ergo suum defraudans intactum pauperibus
remisit. Sed debebatur cælo tam delicatum Apo-
phoretum, tantaq̄ue virtute conditum. Angelus
sub centonibus latitans eo donatus est, argumen-
tis aliis pluribus, & illo maximè agnitus, quod
discum invisus omnibus in mensam retulit, &
paulò post, quasi vicem relaturus, læto ROBER-
TVM nuncio beavit, nomina discipulorum ejus
albo cæli inserta esse, duos duntaxat eā felicitate
excidisse: ex quibus alterum credibile est eum
ipsum fuisse, quem è medio orantium cœtu da-
monis furcā abstractū, auferri ab eo sportā aspexit
spolium orco. Alias globo juvenum immixtum
Cacodæmonē, & singulorum auribus sua venena
infusur-